B. N. C.
FIRENZE
1116
16

1116. 16

AI
1116
16

JOH. RODOLFI WETS
Oratoriæ Profeſſoris,

ORATION APOLOGETICÆ,

PRO

FIDE HELVETICA,

Publicè in Academiâ Baſilienſi
habitæ.

AN. CH. M. DC. LXXXI.

BIBLIOTECA NAZIONALE
1872

Programma I.

JOH. RODOLFVS WETSTENIVS, A. L. M. Oratoriæ Profeſſor Ordin.

LECTORIBVS VERITATIS AMANTIBVS S.D.

N*ihil tetrius, nihilq; nocentius fingi poteſt* Mendacio, *quod non ſolùm ſanctiſſimam veritatis Majeſtatem arrodere, & quantum in ſe eſt, labefactare conatur, ſed & toto ordine ſecum diſconvenit, ſibiq; ipſi contrarium, quod modò aſſerere videbatur, mox iterum deſtruit & negando ſubvertit: ita ut, etiamſi oculos rem obiter conſiderantium aliquando faſcino ſuo perſtringere queat, nihilominus quibus majorem ſolertiam naturæ bonitas indulſit, illi, inſtitutâ veri cum falſo comparatione, nullo negotio aurum à ſcoriis, notha à legitimis, & figmenta pravæ mentis à candidi pectoris judicio dijudicent atq; diſcernant. Nemo apud nos eſt, qui ignoret, quàm varios libellus ante annum in lucem editus, ac titulo* Helvetiæ perſonatę retectæ, *vulgò* das Entlarvte Schweitzerland / *manibus legentium vario idiomate paſſim intruſus, excitârit rumores. Simpliciores & à rerum actarum notitiâ remoti inſolitâ oris temerarij audaciâ, certiſſimi oraculi inſtar decretoriè omnia pronunciantis, & fictæ pietatis ac pro gloriâ Dei flagrantis zeli ſpecie ſua effata incruſtantis, haud parvo terrore perculſi cernebantur; quorum verò oculi certius atq; acutius proſpiciebant, putidiſſima hominis maledicentiſſimi mendacia non niſi ſolo riſu excipienda judicabant, quæ rerum aliter ſe habentium & in publico totius orbis theatro geſtarum evidentia facillimè refelleret ac confoderet. Sed etſi ita eſſe perſpectum habeamus, non una tamen*

neceſſitas nos obſtrinxit, ut, veritate in lucem protractâ, & larvâ homini perſonato ejusq́ rabidiſſimis calumniis detractâ, laudatiſſimæ Helveticæ Gentis *famam pro virili vindicaremus. Id enim convelli & lacerari videbamus, quod ante ſeptennium publicis elogiis hoc in loco dignum æſtimavimus, maximum Gentis noſtræ ornamentum,* FIDEM HELVETICAM. *Hancne à maleſano tenebrione in dubium vocari; imò perfidiæ enormis maculâ contaminari probroſo pateremur ſilentio? Non id hominis ſani, nedum boni civis eſſet. Verùm quia monſtrum hoc, quinque capitibus terribile, unico ictu proſterni non poteſt, hac vice duo priora forti pectore aggredi, ac ſuis inet confodere ictibus, juſſimus Juvenem, celeberrimorum Majorum meritis, ac propriâ virtute & eruditione florentiſſimum,*

JO. CASPARVM BAVHINVM, H. F. J. C. N. C. P. Baſilienſem,

Primæ Laureæ Candidatum:

qui cùm ſibi demandata in palæſtrâ Oratoriâ exequi, Deo benedicente, ad d. VI. Maï An. M DC LXXXI. horâ X. mat. paratus ſit, Veſtram Proceres civesq́ Academici, & quotquot præterea HELVETIÆ, dilectæ noſtræ Patriæ, famam ſalvam cupiunt, ad audiendum benevolentiam unâ nobiscum obnixis & amicis ambit precibus. Hanc quia rei graviſſimæ æquitas nobis certò pollicetur, nos pariter unicuiq́ veſtrûm paratiſſimam inſigne hoc beneficium demerendi alacritatem fide ſincerâ, candidâ, firmâ, &, ut uno rem dicamus verbo, Helveticâ *pollicemur. Valete.*

Magnifico Academiæ Rectore,
D. M. JOH. JACOBO BUXTORFIO, L. S. Prof. celeberrimo.
Spectabili Philoſophorum Decano,
D. M. JOH. JACOBO HOFMANNO, Gr. L. Prof. meritiſſimo.

ORA-

ORATIO I. *pro* FIDE HELVETICA.

QVemadmodum Sol fulgentiſſimus Mundi oculus, amabili ſuâ luce totum terrarum orbem illuſtrat, ut omnia ſuis radiantia coloribus à ſe invicem diſcernere, & creaturarum ineffabilem admirari pulcritudinem eò melius poſſimus, ſed & eodem labore triſtes noctis tenebras, quibus illæ conſtrictæ tenebantur, dicto citius in fugam agit ac diſpellit; perinde in orbe hoc inferiore ſplendidiſſimũ inter omnes ſcientias ſidus divina eloquentia, clariſſimos indubitatę veritatis radios evidentibus argumentis auribus atque animis audientium ingerit, quæ ubi locum invenit, nebulas errorum, fraudum, fabularum enornium, fictorum criminum, & quicquid hujuscemodi juratus veritatis hoſtis ei opponere ſolet, facillimè diſcutit & expellit. Nemo veſtrûm eſt, Aud. Spect. qui animo non recolat, quâ ratione ante ſeptem circiter annos hoc in loco *Fidem Helveticam*, nobis omnibus imò orbi univerſo evidentiſſimo ſpecimine, totius ſcil. Helvetiæ ad Vrbis & Patriæ finium defenſionem concurſu, probatam & illuſtratam publicâ oratione laudaverimus. Quis credidiſſet laudatiſſimam hanc animo-

rum conjunctionem, & inde natam fideliſſimam ad mutua auxilia, ad ſolius patriæ conſervationem inſtituta, conſpirationem, cuiquam mortalium diſplicere potuiſſe? Sed inventus eſt, non homo, ſed portentum hominis; non lucis filius, ſed obſcurus tenebrio, qui & hanc & omnes alias Helveticæ gentis à multis annis res geſtas perfidiæ larvâ obductas publicè edito libello criminari, & rabidi canis inſtar ipſum Solem ſuis latratibus petere non erubuit.

Habent ſupremi Magiſtratus vindices flammas, habent alia, quæ leviſſimo famoſi libelli auctori opponant; nos noſtris pugnabimus armis, non convitia convitijs reddendo, res cum re, argumenta cum argumentis decertent, ut omnibus extra cauſam conſtitutis malus conviciandi animus, cui nec laudatiſſima laude digna videntur, ſed criminationibus & maledicis obtrectationibus, apertiſſimè conſpiciatur, & fœdiſſima larva noſtratibus afficta in ipſomet conviciatore compareat. Id verò dum facere aggredior, ut dicentem ſolitâ veſtrâ benevolentiâ & humanitate, tum mei, tum ipſius rei graviſſimæ causâ, proſequamini, ſubmiſsè & enixè contendo.

Libellus prodijt ſuperiori anno Gallico atque Germanico idiomate, addunt alii Latino & Italico ſermone itidem lucem vidiſſe, non luce ſed tenebris dignus, aut potius ultrici

Vulcano

Vulcano offerendus, *Helvetia Perſonata detecta*. Auctorem ſi rogites, Homericus (*a*) ὖτις eſt, qui ſibi cum cyclopum immanitate rem gerendam, eoſdemque luminibus orbandos exiſtimavit. Imò verò *Helvetium* ſe fingit, ſed affirmare auſim ex quo tempore fortiſſimus & in Patriæ annalibus decantatus WINKELRIED, cum aliis ſui ſimilibus, à venenatis draconum morſibus eos interimendo & extirpando Helvetiam liberavit, nunquam eam tam immane monſtrum produxiſſe, quod partim turpi rerum noſtrarum ignorantiâ, partim tetrâ noſtræ incolumitatis invidiâ, partim denique inſano calumniandi pruritu permotum, illibatam Helvetiorum famam unâ perfidiæ inuſtæ notâ contaminare & delere fuerit aggreſſum. Quid? *religioſum* ſe dicit, (*c*) qui *Zelo pro ſalute patriæ* inflammatus induratæ genti ſuam miſeriam repræſentet, hinc tot loca è ſacro Codice, è ſanctis Canonibus & Patrum Eccleſiæ ſcriptis adducta leguntur. En novum Gentium Doctorem, alium in extremâ mundi ætate Apoſtolum, quod officij genus primo poſt Chriſtum natum ſæculo expirâſſe credebamus! Meritò bono huic religioſo illud Chriſti inculcamus, (*d*) *quis te nobis conſtituit Judicem*? Tanta eſt reformatæ Eccleſiæ Miniſtrorum in ſuâ functio-

(*a*) NEMO, Odyſſ.1. (*b*) In prologo ad Lectorem p. 4. editionis Gallicæ, ſine loci auctoris, & anni mentione divulgatæ. (*c*) p. 3. 4. (*d*) Luc. 12. 14.

ne vigilantia, tanta fides & dexteritas, ut, vel te tacente, ſuorum ſaluti acerrimâ peccatorum cenſurâ provideant. Et cùm te Romanæ Sedi addictum conſtet, annon verebare ſummi veſtri Capitis, ejuſque ad Helvetios Delegati ſeu Nuncij Apoſtolici Te muneri ingerere? Solebant Apoſtoli ſuis ſcriptis nomina præfigere, ut, cui ſuam populi deberent inſtitutionem, grati agnoſcere poſſent, ſed terruit te illud Petri: (a) *Nemo veſtrûm patiatur ut maleficus aut ἀλλοτριοεπίσκοπος, alienarum rerum inſpector.* Si vera defendas, cur lucem formidas? cur nomen non prodis? quod ipſius Salvatoris judicio peſſima operantis eſt indicium (b). Quamprimum putidum libellum in manus ſumpſeram, te è Cretenſium progenie ortum judicabam, quos divus Paulus: *Semper mendaces, malas beſtias, ventres pigros* deſcripſit; ex fructu enim judicium de arbore ferebam: mox te pauló attentius conſideratâ, neque Germanum Te deprehendi, cùm ſtylus Germanicus tam miſerè habeat, ut, quid ſibi velit interpres, vix ab intelligentibus percipiatur, cùm contrà Gallicum exemplar nitidè ſatis & diſtinctè ſit expreſſum, unde facilè eſt ſubodorari, Gallum fuiſſe tam egregij fœtus auctorem: Et quia utramque paginam non Lotharingiæ, non Alſatiæ, non aliarũ Belgij provinciarum amiſsio, nec Imperij Germanici vaſtatio miſerrima, ſed ſolius Burgundiæ

(a) 1. Pet. 4. 15. (b) Joh. 3. 20.

diæ occupatio implet, non obſcurum eſt, Burgundionem, qui vel dolore ab amiſſas poſſeſſiones incenſus, vel, ut ſe commodius à proditionis ſuſpicione liberaret, vicinis ſuis perfidiam affricando, nobis hoc monſtrum peperiſſe. Scilicet cùm domi ſat haberet ſordium, quas abſtergeret, homo ſummè religioſus, illas alijs illinere eximium duxit, ut ſuis nitidiuſculè bellulus appareret. Egregium artificium, & ſuo inventore dignum!

(a) Sed linquamus auctorem tenebricoſum ſuis tenebris; videamus potiùs, quid tanto dignum hiatu promiſſor afferat. Vt ſe Rhetorum præceptis probè tinctum oſtendat, antitheſin ſe inſtituere ſimulat, quâ capite primo Prudentiam & Probitatem priſcorum Helvetiorum pro conſervandâ Republicâ, graſſantibus hodie inter Helvetios vitijs opponit, & ex horum enormitate, quatuor capitibus Helvetijs *amiſſionem amicitiæ omnium confederatorum*, *ruinam inevitabilem*, *honoris ac famæ jacturam*, denique *propriæ conſcientiæ perditionem* non tam præſagit, quàm exprobrat. Non mirabimur hominis impudentiam, cùm è ſolâ horum verborum recitatione fronte carere hoc portentum liquidò appareat. Quid enim? Si Hiſpani rapaces, Galli intemperantes, Germani bibuli communi feruntur proverbio, nullos né propterea Hiſpania Juſtitiæ, Gallia temperantiæ, Germania ſo-

(a) Refutatio cap. I.

brietatis cultores habebit? Non liberabimus Helvetiam ab omni ſcelere, ſat peccatorum ibi eſt, ſed qui univerſam perreptaverit Europam, vix populum reperiet, priſci moris tenaciorem, æquitatis, juſtitiæ, benignitatis & probitatis laude magis dignum, quàm Helvetios. Sint ibi avari, ſint perjuri, anné illicò tota natio talis audiet, & publico ſcripto proclamabitur? Quis te hanc artem docuit mi religioſe? Dein ſummi Magiſtratus multa videntur facere, quæ tamen aliter faciunt, nec cujuslibet privati cenſuræ ſubjacent. Etenim ſereniſſimus Angliæ Rex triplici federi innexus, quo Belgis auxilia contra Gallos pollicitus fuerat, primus erat, qui eoſdem aperto Marte eſt aggreſſus: Nonne fœderati Belgij Proceres Auguſtiſſimo Imperatori atque toti Imperio ſancito federe promiſerant, ſe ſine illis pacem cum hoſte non inituros? Quis propterea privatus in ſummos Magiſtratus tam impius, tamque profanus erit, ut undique collectis & compilatis teſtimoniis, quicquid de perjurio & perfidiâ uſquam reperitur, de præfatis ſummis Poteſtatibus in libellum corradere, & per orbem univerſum diſpergere conetur? Nonne ſatius eſt de his tacere, vel meliora de Principibus Chriſtianis ſentire, Deoque rem totam committere? Qui verò dominationem ſpernunt, & majeſtatem blaſphemant, cum diabolo, ſpiritu rebelli, ignis

æterni

æterni pœnam, divo Apoſtolo Judâ eam denunciante, (*a*) ſuſtinebunt.

Sed rem propius diſpiciamus. Summam Helvetiorum Sapientiam elicit noſter religioſus (*b*) *ex unione corporis è tot membris heterogeneis conflati, ex amicitiâ cum vicinis æqualiter cultâ, ex federibus cum iiſdem in nullius præjudicium contractis, ex αὐταρκείᾳ, quâ olim acquiſitis gaudent ditionibus, nec eaſdem augere deſiderant.* Aliquid dicit, ſed non ita Helvetij de ſuis rebus philoſophantur, non ſuæ litant prudentiæ, ſed Dei digitum agnoſcunt, qui antiquiſſimæ libertatis eorum oppreſſores, viribus, potentiâ, opibus ijs valde terribiles, contra omnium mortalium exſpectationem per homines plebejos numero exiguos, cæteriſque præſidijs humanis deſtitutos, repreſſit, oppreſſit & in nihilum redegit: & quò majores vires pars adverſa adhibuit, eò ampliorem Helvetij nacti ſunt occaſionem ſocios in libertatem vindicandi, ditiones ſuas noviter occupatis regionibus augendi, ſeque vicinis ſuis formidabiles ſimul atque admirabiles efficiendi: Non Helvetij aliorum ambierunt amicitiam, non federa exterorum requiſiverunt unquam, non ſtipendia ſolicitârunt, ſed magnis promiſſis illorum fortitudinẽ, fidem & benevolentiam ſibi certatim ſummi Monarchæ, vicini præſertim, conciliare ſtuduerunt, inprimis cùm res eorum domi flore-

re ob

(*a*) Jud. verſ. 7, 8. (*b*) pag. 8, 9.

re ob regimen prudenter adminiſtratum & fines invicto robore defenſos cernerent. Quid in his immutatum mi religioſe? Multa opinor, ſi te conſulamus; pauca credo, ſi veritatem. Tu vix ijs (a) *nomen libertatis & ſpeciem apparentem ſupereſſe* clamitas; adeò (b) *avaritiam Gallis Helvetiam ſubjugâſſe, ut cum famâ ſalutem perdat, ut nec Argo oculatior vel unicum prudens facinus in Helvetiis deprehendere hodie queat.* Bona verba mi religioſe, adeo né obſcuratum eſt cor tuum inſipiens, ut cùm te ſapientem putes, ſtultus factus ſis? ſi adeò Helvetij inſaniunt, mirum eſt Pontificem Romanum, Imperatorem Auguſtum, Potentiſſimos Galliæ & Hiſpaniæ Monarchas, tot Principes ſtatusque alios, prudentiæ nomine inclutos, Legatos ſuos ad gentem ſtolidam & furentem dimittere, eos ibidē alere, & res maximi momenti cum ijſdem tranſigere? mirum federibus antiquitus & recens initis eos non renunciare? Inſanis ipſe, mi religioſe, hinc ſanæ mentis homines malè in tuam refers claſſem.

Sed ut artium omnium notitiâ te inſtructum demonſtres, Poëtam mox agis, qui quidlibet audendi fingendique licentiam ſibi ſumunt, dum interiores Helvetiorum nævos, veteris Satyrici inſtar, graphicè depingis, adhibito ironicæ negationis artificio, quaſi minimè id ageres, quod maximè agis, & in Helvetiâ chimæricam

(a) Pag. 10. (b) Pag. 18.

cam & pluſquàm cyclopicam Rempublicam deſcribis, (*a*) *Deo rebellem, barbaram, juſtitiam vendentem, pauperes opprimentem, impiam, injuſtam, inhoſpitalem, inurbanam, avaram, ad ſummam; talem cui deſcribendæ integrum volumen vix ſufficeret, ut curioſis oblectandis fieret ſatis.* Sicciné Tibi adeò ſumus ludo, ut Cannibalum nationi, vel ſi quid ferius aut immanius terrarum orbis alit, non jam illis comparandi, ſed immanitate longè præponendi videamur? Hîc ſorex ſuo ſe prodit indicio, hîc felle tinctus calamus animum prodit nequiſſimum! Poëtæ fabulis tegunt veritatem, hic miſer eandem opprimit. Anné *rebelles Deo* ſunt cenſendi, qui cognitâ Dei voluntate fugiunt Idololatriam, & inſtitutis hominum præferunt præcepta Dei? Quanquam hæc Tibi quà Religioſo, nam ſi Politici larvam induiſſes, ineptè hæc huc traheres, cùm quilibet in cauſâ religionis ſupremo Domino ſtet vel cadat, adeoque hujus fori minimè ſint. Imò potiùs digitus Dei eſt agnoſcendus, quòd Helvetia religionis exercitio diviſa, mirâ tamen concordiâ etiam in communibus præfecturis, interventu pacis religioſæ, fruatur, omneſque ad ſalutem patriæ velut unicum colliment ſcopum. An *ſanguinem vendunt*, qui ex federe obligati Principibus ſuam operam implorantibus eandem indulgent? Quis mortalium *juſtitiam* aut *munera* in Helvetiâ *venalia*

(*a*) Pag. 12, 13, 14. confer. pag. 54.

nalia audivit, nedum experientiâ comperit? Credo hominem olim de corruptiſſimâ Rep. quædam legiſſe, quæ innocentiſsimæ hac in parte Helvetiæ, atque ſanctiſsimis legibus adverſus hanc peſtem munitæ affingit. *Inveſtituras* & *immunitates Eccleſiaſticas* quod concernit, ſi quid ibi corruptum, uti fingit Fabellarum inventor ſubtiliſsimus, id Pontificis Romani Legato emendandum tranſmittemus. Sed *injuſti ſunt qui vilem cudentes monetam domi, peregrinis precium abjudicant.* O' ſtolidæ mentis Helvetios, qui externâ ſpecie dealbatos, & magno numero ad nos advectos, intus verò ſuâ vilitate rubentes numos non acceptare, ſuosque longè meliores pro pejoribus, Glauci permutatione, non exhibere voluerunt! Scilicet injuſti ſumus, perfidi, avari, ſi ſummus Magiſtratus, fraudibus & damnis aliorum detectis, cives ſuos indemnes præſtare ſatagit. *Quòd hoſpites ſummos Helvetij conſtituant Judices; quòd ijdem ad ſe invitatis precium, neſcio quale, extorqueant; quòd amicitiam non niſi pro argento exhibeant*, dum hominem narrare audio, illud Homericum (*a*) incidit: Νήπιος εἰς ὦ ξεῖν᾽ ἢ τηλόθεν εἰλήλουθας. *Stultus es ô hoſpes, aut procul adveniſti.* Adeò turpiter in veritatem impingit os effrene & temerarium, ut mente eum prorſus carere hinc fiat manifeſtum. Vbinam ergo ſummi magiſtratus judicandi poteſtate

(*a*) Od. I. 273.

ſtate abdicatâ in hoſpites eam transtulerunt? ubi locorum invitati tam iniquè habentur? aut plus danti amicitia addicitur? Loquere,ſi non ſis *κωφὸν πρόσωπον*,*perſona muta*,imò lingua petulanter mordax, ac turpiter mendax.

Creditis ne, Auditores ſpectatiſſimi, homini, in ipſo limine tam inſana effutienti, meliora impoſterum profari curæ eſſe: idem ubique furor, idem calumniandi & mentiendi ubique pruritus. Mox enim ad nævos exteriores non quidem omnes, ſed tranſgreſſionem federum, tum Gallici inde ab anno hujus ſeculi ſexageſimo tertio; tum hæreditarij Auſtriaci & Burgundici concernentes progreditur: & poſtquam multa de utriuſque origine, innovatione, tenore, in vulgus nota ſuo more expoſuiſſet, interpretem horum federum ſingulari cum auctoritate agere præſumit, & ex premiſsis eximiam hanc concluſionem (*a*) infert: *Videt hinc Helvetia ſe ſine exceptione obligari federe hæreditario ad impediendas omnes domus Auſtriacæ & Burgundicæ oppreſſiones, etiamſi auxilium ejus non requiratur.* Sed aliud eſt miſſam demurmurare mi religioſe, aliud fedus interpretari; nam in ſequentibus (*b*) palàm gloriaris, ſummiſque laudibus effers Principes domûs Auſtriacæ, quòd Helvetiorum operâ, ob gentis dubiam & corruptioni obnoxiam fidem, uti recuſent. Anné recuſantibus opera infida erit obtru-

(*a*) Pag.28. (*b*) Pag.55.

obtrudenda? malè utrique parti conſulis. Quis verò hoc prodigium concoqueret, Helvetios etiam non requiſitos ſuccurrere Auſtriacis debere, cùm tamen ipſe paulò antè federis Verba ita concepta aſſeras, ne mutuum daretur auxilium, niſi pro neceſsitate id vel majus vel minus exigente. Conſideret nunc cui vel tantillum ſanę mentis ineſt, quâ ratione Helvetij ſuam conferre operam poſsint, ſi ignorent, an opera ſit futura grata & accepta? an auxilium ſit neceſſarium? quale denique pro ratione circumſtantiarum ab ijs exigatur? Superſedere potuiſſes impenſo labori novæ interpretationis, non heri demum vel hodie natum eſt fedus hæreditarium, nôrunt Helvetij tot annorum experientiâ edocti, quale ſit ſuum officium, quod uti hactenus ſumma fide expleverant, ita vel Te labium premente, candidè explebunt. Adde, quòd ipſemet interpres confiteatur, hactenus de exhibendo auxilio nil quicquam actum eſſe, nec unquam requiſitum: cui bono ergo de re non neceſſaria tot verba ſunt effuſa, niſi ut conviciandi anſam etiam ex nihilo arriperet? Et quid opus eſt verbis, cùm ipſę federis tabulæ, Anno Chriſti ſupra milleſimum quingenteſimo à Maximiliano Imperatore renovatæ, diſertis edicant verbis, cùm *ob mutua auxilia invicem præſtanda*, ac aperiendas quatuor urbes ſylveſtres difficultates utrinque fuerint obortæ, itaque ra-

tione

tione duorum articulorum ob graves rationes eorum abolitionem concluſam eſſe, atque *mutuum auxilium*, & apertionem dictarum urbium utrinque remitti, & ad neutrum neutros obligari.(*a*) Unde in tabulis anno ſequente undecimo conſcriptis nil quicquam de his conſpicitur, ſed fidelis inſpectio, ſcil. per legatos, literas aliiſque modis legitimis obſervanda, utrique parti inculcatur. Cur ergo hic ineptulus nodum in ſcirpo quærit? imò quæ fides eſt, rem apertiſſimam diſſimulando & negando, ad infamiam innocentium detorquere? Atque hæc fuere, quæ de prudentiâ Helvetiorum pro Republicâ diſſerere religioſo noſtro placuit.

Tranſit (*b*) ſecundo capite ad effectus noxios imprudentium eorundem actionum, qualis primò eſt amiſsio amicitiæ omnium federatorum, odiumque totius Europæ. Ex abundantiâ cordis os loquitur: Miſellus homo quòd Helvetios ſibi exoſos nôrit, omnibus deteſtandos

b & ex-

(*a*) Verba federis ſic habent: Und dabey / daß beyd obgemeldt Partheyen einanderen zu ihren Geſchäfften umb Beſoldung hülff zu thun verbunden ſigend / und die vier Stätte am Rhein / ſoliche befridigung und dazu eine öffnung derſelben Schloß und Stätten gegen uns der Eydgnoßſchafft zu halten ſollen ſchweren. Auß welchen zwey Articlen uns den vorgenanten beyden theilen etlich beſchwärung iſt zugeſtanden / alſo daß wir auß mercklichen Urſachen / uns dazu bewegend / hin und abgethan / die Hülff und Widerhülff / auch der öffnung und Eydsſchwerung / inhalt derſelben Articlen / einanderen haben wiſſentlich erlaſſen / verzeihen uns dero auch beyden ſamt und ſonders; und wollen / daß uns ſolches hinfür nicht binden ſoll. (*b*) Refut. Cap. II. pag. 32.

& execrandos proponit. Eccur autem omnium mortalium odia merentur Helvetij? *Avara gens eſt & perfida,* Quî probas? Nam (*a*) *ſola Helvetiorum habendi cupiditas cauſa eſt belli nuperi, quo tota Europa affligebatur.* Sed nec hoc credimus, quî perſuadebis? Scilicet *Ludovicus decimus quartus, ut ad Monarchiam univerſalem perveniret, Galliam ſibi, inito cum Helvetijs federe,* (*An.* 1663.) *horum ope primò opprimendam, & hoc facto Flandriam & Burgundiam occupandam cenſuit, ſolis Helvetiorum, auctis ſtipendijs ad id pellectorum, viribus fretus; unde natum primò bellum Flandricum An. ſexageſimo ſeptimo, & Burgundiæ occupatio, cui Helvetij non ſolùm auxilium ſubtraxerunt, ſed eandem ſummis viribus oppugnârunt.* Gallia prò ſe loquatur, nobis Helvetica curę erunt. Fedus primò quòd attinet, non id novum erat, vel ipſo adverſario (*b*) id concedente, ſed idem cum prioribus ab Henrico quarto & Franciſco primo contractis, illa ſi non ſint reprobanda, cur hoc improbaretur? Si Rex Galliæ hodiernus, Princeps Heroicis omninò dotibus inſtructus, cuique parem à multis retrò ſeculis Gallia non vidit; nec fortè viſura eſt; ſi, inquam, alium in finem fedus cum Helvetijs pepigit, quàm verba federis continent, quo jure ulla inde macula ad Helvetios redundabit? Aſſerimus itaque fide optimâ, incaſſum reclamante maledicentiâ, Helvetios fedus Gal-
licum

(*a*) Pag. 33, 34, 35, 40. (*b*) Pag. 17, 18.

licum ad nullius oppreſſionem, nedum Galliæ aut alterius Provinciæ ſanxiſſe; nec Helvetij Galliam oppreſſerunt, ſed conſilia ab aliquot Regibus agitata, ſummâ Cardinalium Richelij & Mazarini dexteritate ad finem perducta ſunt, antequam poſtrema federis Gallicici renovatio facta eſſet. Ad (a) bellum Flandricum Rex Galliæ Helvetiæ univerſæ copias nec requiſivit, nec impetravit; ſed certiſſimum eſt, eundem integras Germanorum legiones ad idem perficiendum & conſcripſiſſe & adhibuiſſe, quibus, bello hoc brevi poſt compoſito, iterum dimiſſis, Germanos Duces iisdem præfectos inſignes movere querimonias alicubi nos audiviſſe probè recordamur. Miramur autem, imò prorſus ſtupemus, Burgundiæ occupationem Helvetijs imputari, cùm eadem occupatio ipſum penè rumorem anteverterit, adeo perfidi erant urbium & arcium præfecti, ut vix auditâ vel conſpectâ Regij exercitûs præſentiâ portas ubique aperuerint, & Helvetijs ne quidē deliberandi tempus, nedum auxilia ſubmittendi reliquerint. Non inficias imus, regios corporis cuſtodes Helvetios, totâ Helvetiâ inſciâ & indignè ferente, occupationi interfuiſſe, ſed non impunè tulerunt delictum, graviter in comitijs Badenſibus eam ob rem mulctati & ſeverè caſtigati: Scilicet Helvetij Burgundiam non defendendo peccârunt, quæ non ſolùm

 eos

(a) Pag. 39.

eos in tempore ad auxilium ferendum non vocârat, ſed ſe ipſam defendere, magnâ proditorum catervâ impediente, peſsimo exemplo recuſavit.

Verùm Helvetia bis peccavit, (*a*) *in novâ Regis invaſione, Anno ſeptuageſimo quarto menſe Aprili factâ, quòd promiſſa auxilia debito numero non præſtiterit, & duci Lotharingiæ Burgundis opem laturo tranſitum per ſuas terras concedere noluerit, nec deniq; copias Helveticas è Regis militiâ domum revocârit. Imprimis* (*b*) *deteſtandæ perfidiæ exemplar fuére quatuor Helvetiorum cohortes, præſidii loco in oppido Gray conſtitutæ, quæ loco defenſionis debitæ hoſti introitum in urbem, totamq; inde provinciam, ſocordiâ & perfidiâ propriâ motæ, exhibuerunt.* Verùm non ita res habet mi religioſe, fecerunt Helvetij, & ſummâ, quantum in ipſis erat, fide fecérunt, quodcunque ad ſervandam Burgundiam facere poterant, non enim ſolùm ſeriò apud Regem (quod etiã ante hac frequentiſsimè non ſine fructu exoptato factum) interceſſerant, ut à Burgundiâ abſtineret, ſed ſimul ab eodem hoc promiſſum impetraverant, velle ſe omninò ab eâ invadendâ abſtinere, ſi modò Helvetij à Burgundis, ne ſuis provincijs hoſtilibus invaſionibus & direptionibus nocere pergerent, obtinere poſſent; hec conſilia dum magno conatu ab omni parte aguntur, urgentur, & media ſalutaria Burgundis con-

(*a*) Pag 41. (*b*) Pag 42.

conquiruntur, tantum abeſt, ut Burgundi à violentis actionibus abſtinuerint, ut potiùs agrum Lugdunenſem & provincias vicinas paſſim vaſtârint, vias infeſtas fecerint, regnoque Galliæ plurima intulerint damna, hoſtem laceſſentes, cui nec viribus, nec opibus, nec ullâ re, pares eſſe poterant: Nec auxilia ab Helvetijs ſeriò & in tempore fuére expetita, ſed paucis cohortibus contenti, eas loco (ut ipſe adverſarius *(a)* fatetur) nec muris, nec foſsis, ſed ſudibus tantùm terræ infixis cincto, adeoque prorſus aperto, nec ullis tormentis ac ad defenſioné neceſſarijs inſtructo machinis intruſerunt, ac velut victimas ſuæ perfidiæ exercitui numeroſiſſimo mactandas expoſuerunt. Tanta tamen fuit exiguæ hujus manûs fides, tanta conſtantia, ut acerrimos Gallorum impetus, & nocentiſsimam majorum tormentorum grandinem, per plures dies incredibili robore ſuſtinuerint, adeoque ſupra bis mille hoſtium (non diſsimulante ipſo adverſario *(b)*) internecioni dederint, tandem tamen numero hoſtium obruti, nec ullâ ſpe à Burgundis erecti debuerunt hoſtium furori cedere; Galli certè, rigidâ adhuc aëris tempeſtate exiſtente, præſidiarios captivos veſtibus ſpoliatos, & vinculis conſtrictos miſerè habuerunt, ut redeuntes exinde milites nobis retulerunt. Poſtea cùm Rex ipſe ex improviſo ſuperveniſſet, citius Provinciam occu-

b 3 pa-

(a) Pag. 40. *(b)* Pag. 44.

pavit, quàm Helveticorum, Hiſpaniæ regi ſingulari fœdere obſtrictorum, copiæ potuiſſent convocari. Eo tempore miſſus erat ad fines tuendos bellicâ laude inclutus Turennius, qui juſto exercitu propè Baſileam excubabat, ne è Germaniâ Burgundis ſubſidium adventaret; in ultimis Sueviæ finibus Dux Lotharingiæ hærebat cum ſuis copijs, Burgundis ſuppetias ire præ ſe ferens, quas non diu ante tanquam Burgundiæ non neceſſarias inde ſubduxerat: optimè is noverat, Turennio ſe parem non eſſe, hinc propius accedere nunquam eſt auſus, nec ignorabat, Helvetiorum unanime latum fuiſſe decretum, neutri parti tranſitum per fines ſuos concedendum: nec una ei patebat via, poterat Argentinæ Rhenum trajicere, & per Lotharingiam in Burgundiam penetrare, tum longè major exercitus requirebatur, ad rem tanti momenti expediendam; Galli recentibus in Belgio impetratis victorijs magnos gerebant animos, Lotharingorum præſentiam ipſi Auſtriaci formidabant; quid animi nobis fuerit in tantâ rerum omnium perturbatione, dum tempeſtatem, quam in remotis provincijs omnia vaſtare non ſine horrore audivimus, finibus noſtris imminere proprijs vidimus oculis, Vos omnes, Auditores honoratiſſimi, optimè nôſtis: omnia palàm loquebantur, Burgundiam non alium in finem hoſti nudam ac deſertam objici, nobiſque

biſque numeroſos exercitus ad fines uſque, imò ad portas urbis, adduci, quàm ut Helvetij tragico huic bello implicarentur, & lividi ipſorum æmuli, pace eorum ſemel turbatâ, dignum ſuo livore ſpectaculum intuerentur. Hoc probè pernoſcentes neutri nos parti credere poteramus, hinc Helvetiorum implorata eſt candida fides, ut in rebus incertis certam facerent ſalutem patriæ, & utrumque exercitum tum Gallicum, tum Lotharingicum, à finibus arcerent; quod etiam, Deo ſit laus, ringente licet invidiâ, felici conatu ac fide ſummâ effecerunt. Tam ſplendidum, tam excellens hoc fidei Helveticæ erat ſpecimen, ut inde à conditâ eorum Republicâ vix inſignius ullo tempore ediderint, & hoc portentum idem perfidiæ audet accuſare. Quæſo mi religioſe, poſtquam Helvetij, cùm anno ſequente ſeptuageſimo octavo, menſe Junio, Galli copias Cæſareanas ante Rhinfeldam in fugam egiſſent, ipſamque urbem obſidione gravi ab ulteriore Rheni ripâ preſſiſſent, & metuendum eſſet, ne ex improviſo per terras noſtras in citeriorem Rheni ripam contenderent, quo facto hæc urbs citò in illorum poteſtatem redacta fuiſſet, poſtquam Helvetij, inquam, viribus duplò maioribus ad tuendos patriæ fines deſcendiſſent, atque ſplendidam Legationem iteratò ad eoſdem dimiſiſſent, quo ſolo atque unico reme-

dio non ſolùm urbs obſeſſa, ſed omnes provinciæ Auſtriacorum vicinæ à præſentiſſimo periculo liberatæ fuerunt, quale perfidiæ genus hoc fuiſſe exiſtimes? Malam inibis gratiam apud Auſtriacos ipſos, qui Helvetiorum præſentiam non uno modo ſibi utilem non ſine gratiarum actione ſæpiuſculè ſunt teſtati. Sed *copiæ vi federis revocandæ fuiſſent.* Neque hìc defuit Helvetiorum cura fidelis, qui à Rege ejusque Legatis tum vivâ voce tum ſcriptis ſeriis frequenter poſtulârunt, ut non aliter, quàm federis ratio exigit, ſuorum operâ uterentur; ſuis verò tum præfectis, tum militibus, ſeveris minis injunctum eſt, ut obſervatis promisſis neminem violent, à quibus abſtinendum noverint, utque apud ſupremos Duces, ne extra regnum ducerentur, enixè intercederent, eoque non impetrato, dimiſsionem ſine morâ expeterent. Quâ de re Anno ſeptuageſimo ſexto è comitiis Badenſibus Helvetij Germaniæ Proceribus Ratisbonæ congregatis prolixas inſcripſére literas, ut orbi univerſo pateret, nihil omiſiſſe noſtros, quod quantum in ipſis erat ad fidelem federis obſervationem requirere poſſet æquitas.

Plura forſitan à me deſideratis, *Auditores ſpectatiſſimi*, & ego plura ſupereſſe lubens agnoſco, ſed fateor non me Herculem eſſe, qui immanem hanc hydram uno conflictu interimere,

mere, totque enormium figmentorum & criminationum capita unico ictu reſecare valeam, Partem eam recenſeri audiviſtis, in quâ Helvetiam laudare voluiſſe homo ſincerâ, ſi dijs placet, religione præfignis videtur. Si laudes ejus tam probroſæ exiſtunt, qualia creditis ejus opprobria futura? Plus ſatis me aures veſtras ingratâ explêſſe materiâ deprehendo. Si Tullius (a) de ſuo ævo edixit: *His temporibus audaciâ pro ſapientiâ licet uti.* Nos de noſtro exclamabimus: His temporibus audaciſſimis mendacijs pro verace ſapientiâ licet uti: adeo mores quorundam ſunt corrupti, adeo ſuo furori frena laxant, ut quicquid inſana temeritas illis ſuggerit, id in lucem proferre, & velut è tripode allatorum oraculorum inſtar orbi obtrudere fictâ pietatis ſpecie non vereantur. Non oculis tantùm ex antedictis cernere, ſed ipſis vos manibus palpare confido, quàm iniquè, temerè & ſceleratè gentis noſtræ oſor acerrimus nobiſcum egerit, ſed larvâ ei ex parte detractâ id impoſterum curabimus, ut quæ ſuperſunt pari dexteritate refellantur. Omnibus verò Helvetiæ incolis id incumbet, ut domi ſervatâ concordiâ, & foris illibatâ fide, ipsâ vitæ innocentiâ malevolorum calumnias ſubvertant, ut priſca Gentis gloria, tot præclaris & fortiſſimè geſtis facinoribus acquiſita, ab omni maculâ pura in æternum maneat atque conſervetur, *Dixi.*

(a) Epiſt. l. 1. 10.

PROGRAMMA II.

JOH. RODOLFUS WETSTENIUS, A.L.M. Oratoriæ Profeſſor Ordin.

LECTORI VERITATIS STUDIOSO, S. P. D.

GRypo regi ab exercitatione venienti Mater, velut feſſum refocillatura, poculum veneni obtulit, ſed fraude animadverſâ ipſe, tanquam pietate certans, matrem prabibere compulit, ut ſcelere in ſemet verſo, veneno, quod alii paraverat, extingueretur: ita ſæpe malorum architectis evenit, ut ſuis fraudibus ac dolo malo ſibimet ipſis maximum inferant nocumentum, inq; foveam aliorum exitio deſtinatam ſemet dent præcipites. Vidimus, nec ſine ſtupore vidimus, oris effrenati temeritatem, quod publicè edito famoſo libello laudatiſſimæ Helveticæ gentis, ac fidei inprimis nomine omnibus ſupremis Majeſtatibus hactenus acceptiſſimæ famam, perfidiæ deteſtandæ maculam ei affricando, & extrema omnia minitando, non arrodere ſed prorſus extinguere, fictæ pietatis & amicitiæ larvatæ præſidio, non erubuit; Verùm paulò penitius re conſideratâ, tantùm abeſt, ut quicquam ſinceri ibidem deprehenderimus, ut potiùs manifeſtam perfidiam, res plurimas quæ non fuêre fingendo, vel bene geſtas malâ narratione corrumpendo, vel publica majorum decreta atq; ſedera in ſenſum alieniſſimum detorquendo, vel aliorum delicta noſtræ Genti ore maledicentiſſimo imputando, & ubiq; animi irâ atq; furore infectiſſimi inſolentiam prodendo, hominem malè ſuæ famæ conſulentem orbi univerſo expoſuiſſe credamus; idq; ex parte in priore oratione apologeticâ planiſſimè oſtendimus. Id reſtat, ut ſalutem, honorem *atq;* conſcientiam

HELVE-

HELVETIORUM *à maledictis liberatas in tuto collocemus, quam ad rem operam omnem pro virili impendet Juvenis, ingenii bonitate, morum innocentiâ & bonarum literarum ſtudio ornatiſsimus.*

CHRISTOPHORVS BVRCARDVS,
Baſilienſis,

ad d. V. Julii An. M DC LXXXI. poſteriorem orationem, ſuccinctam refutationem trium poſteriorum libelli famoſi capitum continentem, horâ X. loco conſueto habiturus, ſi veſtra Pates, Civesq́ꝫ Academici Benevolentia atqꝫ humanitas audiendi nobis gratiam facere ſit parata. Quinimò flagrans ille ardor, qui pro reipublicæ ac Patriæ commodis atqꝫ ornamentis tot ardua aggredi Vos jubet, neutiquam hac vice nobis defuturos pollicetur; ut, quod lubenter facitis, faciatis lubentius, quanto poſſumo opere flagitamus, gratum pro acceptis beneficiis animum quovis loco & tempore officioſè teſtaturi. Valete.

Magnifico Academiæ Rectore,

D. JOHANNE ZVINGERO, S. Th. D. & Vet Teſt. Prof. celeberrimo.

Spectabili Philoſophorum Decano,

D. M. JOH. JACOBO BUXTORFIO, A.L.M. & L.S. Prof. meritiſsimo.

ORA-

ORATIO II.

pro

FIDE HELVETICA.

SI Sextum Roſcium Tulliana laudavit eloquentia, (*a*) quòd *rectum putârit, pro eorum honeſtate pugnare propter quos ipſe honeſtiſſimus inter ſuos numerabatur.* Quanto magis rectum erit, ſi pro vindicando Patriæ, communis omnium Parentis, honore impigrè decertaverimus, à quâ tam illuſtria antiquæ laudis, famæ atque gloriæ ornamenta accepimus. Nosné tam ingrati, tam à ſenſu meliore derelicti eſſemus, ut nihil laboris pro ejus decore aſſerendo impenderemus, pro quâ, præter opes viresque omnes, ipſam profundere vitam, ipſa jubet æquitas, & natura requirit? Abſit à nobis hæc impietas, abſit, ut causâ meliore proditâ impunè ſcelerati oris maledicentiam graſſari patiamur.

Produximus vobis nuperâ oratione Hydram, Lernæâ nocentiorem, quinque capitibus terribilem & innumeris ferè morſibus peſtiferam; caput unum atque alterum, cauſæ innocentiâ freti, intrepidè aggreſſi ſumus, & quos potuimus, dentes rabido ori excuſſimus, nunc eum in finem ſplendida hæc Panegyris eſt coacta, ut tria reliqua, extrema omnia, famæ,

(*a*) Orat. 2. pro S. Roſc.

mæ, ſalutis & conſcientiæ interitum minitantia, ſupremi Numinis auxilio aſpirante & Veſtrâ, *Auditores Spectatiſſimi*, gratiosâ benevolentiâ adjuvante, ſolidioris veritatis clavâ ita atteramus, ut nullum ab exitiosâ hac belluâ nobis impoſterum metuendum ſit periculum, nullique morſus extimeſcendi.

Ante omnia quod *Helvetiorum copias militares* attinet, quas ad centum triginta duas cohortes & numerum quadraginta millium aſſurgere fidenter aſſerit, (*a*) & *cauſam ſine quâ non* ſeu *formalem* belli pernicioſi pronunciat, rem uti eſt ab origine repetemus. Pax erat profunda, nec de ullo bello ſuſpicio alebatur, ſaltem apud nos, cùm anno ſeptuageſimo primo è Galliâ Legatus ad quoſdam Helvetiæ pagos, præſertim Gallicis ditionibus finitimos, dimitteretur, qui varijs artibus copias ſolicitaret auxiliares, quas Rex in præſidia oppidorum Gallicorum paſſim adhiberet; tunc multi aſſenſum differre, alij & fortè pars potior eundem negare, quidam ob graves & urgentes rationes tandem præbere propemodum fuére coacti. Tacuit eo tempore Imperium, non reclamavit Hiſpania, Gallia ſeriò inſtitit, quid nocere, quidvé prodeſſe poſſet, haud leviter in turbis cùm paſſim in viciniâ excitatis oſtentans, ſic Helvetici quidam pagi paucas quaſdam chiliadas, ſupra ſex vel octo numerus non aſcendebat,

(*a*) Pag. 50. coll. cum pag. 39.

bat, Regi conceſſerunt; milites omnes atque Duces ſacroſancto jurejurando ſupremis Magiſtratibus promiſére, ſe nec contra Imperium, vel domum Burgundicam & Auſtriacam, vel fidei ſocios operam militarem exhibituros: quo medio omnibus incommodis ſe probè proſpexiſſe Helvetici Proceres ſibi perſuadebant. Sed quid fit? Rex ex Italiâ, Angliâ, Hiberniâ, Germaniâ, totâ Galliâ & undecunque poterat, ampliſſimum eodem tempore conſcribit exercitum; Rex Angliæ, Elector Colonienſis & Epiſcopus Monaſterienſis novo federe obſtringuntur, ſine quo omnis Gallorum conatus irritus prorſus ac fruſtraneus extitiſſet; uti poſtmodum federatis à Galliâ ſecedentibus liquidò apparuit. Mox expeditio anno ſequente ex improviſo inſtituitur, ipſo Rege præſente; & militibus ignorantibus quorſum ducerentur, tanto artificio Galli ſua conſilia celare noverant; poſtea cùm in Belgium ſe transferri deprehenderent, Regiæ cohortes incredibili velocitate tantum terrorem Belgis incuſſerant, ut Gallis vix manus ſufficerent ad acceptanda omnia, quæ ultrò certatim offerebantur & tradebantur; hinc turmæ Helvetiorum non in urbes Gallicas, ſed Belgicas præſidij loco collocatæ ſunt, præcipuè Vltrajectum & Arnhemium occupare juſſæ; ubi maximam partem incolis non ingrati; imò ut à fidedignis ca-

nis accepimus, cum lacrymis tandem dimiſſi ſunt, re ipſâ docente, quinam omnium minimè inter copias hoſtiles moleſti forent. Sed quid hæc omnia ad Helvetiam, quâ inſciâ & indignante, imò contra cujus juſſa hæc omnia tranſacta ſunt? Potior pars ne unicum quidem militem Regi indulſerat, ceteri non ſine cautelâ ſuos dimiſerant, & ſeveris edictis aliquoties nova ſupplementa negârant. Quâ fronte igitur apertæ perfidiæ rea peragitur Helvetia? Quòd Belgas à fidei ſociis oppreſſos clamites, cur non potiùs Anglis exprobras, quibus omnem ferè debent calamitatem, dum enim mari terribilem eorum claſſem à cervicibus depellere ſummis viribus ſatagunt, finibus in continente denudatis deplorandam paſſi ſunt cladem; ſed ludit homo facetus pro iis verba faciens, quorum interitum Hiſpania univerſa totis viribus per ſeculum fere integrum accelerare deſideravit. Atque utinam ad Imperij defenſionem magna pars conſcripti exercitûs, nullâ habitâ vel religionis vel conditionis ratione, eidem opprimendo minus inſervijſſet, plus damni ſenſiſſet hoſtis, & minus querelarum paſſim audiretur! Quòd verò Helvetios arma cum Gallis in Imperio circumtuliſſe dicas, (a) putidiſſima eſt calumnia, id enim ne fieret, apud Regem atque ſuos omni fide providerunt. Et quid de Helvetiorum perfidiâ tanto-

(a) Pag. 47.

tantopere declamas, cùm ſummam in *Wertmüllero* Helvetio fidem S. Cæſarea Majeſtas agnoverit, & ſummis ornamentis atque præmijs remuneràrit; hujus induſtriam, dexteritatem, & vigilantiam ſi ceteri Duces imitari potiùs, quàm ſuæ cupiditati explendæ vacare maluiſſent, majora inde commoda ad Germaniam redijſſent, nec ſuâ culpâ vires hoſtium auxiſſent. Fruſtra enim Helvetiorum corruptelæ id tribuis, (*a*) quod aliorum eximiæ fidei atque curæ convenit: ſi enim, quod noſtris vidimus oculis, profari licet, cùm anno ſeptuageſimo quarto menſe Novembri univerſi Imperij exercitus in Alſatiam irrupiſſent, bona pars eorum in vicinâ Suntgoviâ nec argento, nec commeatu, nec veſtibus erat inſtructa, ut oſtiatim panem flagitando magno agmine civium noſtrorum opem implorarent, eo tempore integræ centuriæ ad Gallos tranſiére malâ quorundam præfectorum fide adacti. Nemini verò mirum eſſe poteſt, numerum Helveticarum copiarum tam magnum fingi, cùm Galli Helvetios pedites non minimum ſuæ militiæ robur nôrint, hinc omnes in Germaniæ viciniâ collectas copias Helveticas ut plurimum appellant, in quibus vel nulli vel pauciſſimi noſtræ gentis reperiuntur. Aut nulli ne ſunt Germani Duces, Comites, nobiles, qui integras phalanges Gallis adduxerunt, & iiſdem,

(*a*) Pag. 50.

dem ad nutum inſerviunt? Imò verò magnus produci poſſet numerus, ſi hoc quæreretur. Et quid tu homo nauci id negitas, quod tot Reges, Principes, Reſpublicæ in Helvetijs præ alijs nationibus admirantur, & tutiſſimum judicant ſuæ vitæ & ſalutis præſidium? (a) Senſit Argentina ſummam Helvetiorum fidem, eamque & in præſentibus & in diſcedentibus ſummis laudibus in cælum extulit: Exigua Helvetiorum manus plus tutelæ Epiſcopo Baſilienſi attulit, quàm numeroſiſſimi alijs exercitus præſtare quiverant: ipſique Belgæ federati tantum abeſt, ut perfidiam Helvetiorum extimeſcant, ut potiùs confectò vix bello Princeps Arauſionenſis eoſdem corporis *ſuicuſtodes elegerit; atque Ordines potentiſſimi, ut Helvetij diſertis verbis Conditionibus pacis cum Gallo initæ includerentur, ſolicitè providerunt. Imò conſtans Helvetiorum fides unicè Galliam permovet, ut ad illam ſibi vindicandam nullis vel ſumtibus vel artibus parcat, atque ab aliquot ſeculis perpetuam atque ſinceram cum ijſdem colat amicitiam. Triumfet ergo Helvetia nulli inimica, omnibus fide candidâ officia exhibere parata, atque digniſſima, quam Imperatores, Reges, Principes & quotquot federe ijs juncti ſunt, ſuo favore & affectu foveant & amplectantur.

Sed pergamus ad tertium libelli caput, (b)

C non

(a) p. 53. (b) Refut. Cap. III.

non ſibi ſufficere, plauſtra calumniarum & mendaciorum in Helvetios congerere credidit noſter religioſus, niſi etiam temerario auſu ipſum cælum peteret, & velut certiſſimum Apollinis oraculum, neſcio quo ſpiritu Prophetico actus, Helvetiæ interitum inevitabilem prædiceret. Tullius gentili ſuperſtitione tinctus ſaniora cogitavit, cùm ſcriberet (*a*): *de felicitate, quam præſtare de ſe ipſo nemo poteſt, ſicut æquum eſt homini de poteſtate deorum, timidè & pauca dicamus.* Et noſter tenebrio decretoriè pronunciat, quod Dei poteſtati erat religiosè committendum. Peribit Helvetia, rationem ſi flagites, (*b*) quia *aperto bello indignè læſit omnes propemodum Europæ ſupremas poteſtates, hanc perfidiam propediem vindicaturas.* Habuimus autem varios exercitus Gallorum, & Germanorum frequenter ad fines noſtros caſtra ponentes, ſenſére utrinque Helvetios amicos, hinc militibus ut noſtris parcerent ſubditis, agris, poſſeſſionibus ſummâ ſeveritate utrinque fuit interdictum: quî hæc cum aperto atque ementito tuo bello concilias hominum impudentiſſime? Cui bellum indixerunt Helvetij? quoſnam violare à ſuperioribus milites ſunt juſſi? Saniora fovent conſilia ſummi Magiſtratus, qui inſciâ & indignante Helvetiâ Gallos federatorum operâ abuti probè nôrunt; hinc vident omnes fatali neceſſitate conſtricti, tempo-

(*a*) Orat. 17. pro l. Manil. (*b*) pag. 58.

tempori eſſe cedendum, & ea concoquenda, quæ alio tempore ferenda non eſſent.

Sed pergit (*a*) noſter: *Galli infidi nemini parcunt, unde, quid Helvetijs ab iiſdem ſit expectandum, facilè eſt conijcere.* Galli ſuam fidem defendant, Helvetij quamdiu eam ſibi integram ſervari ſentient, de eâ non dubitabunt: quæ belli tempore ab ijs commiſſa dicuntur, ad imitationem aliorum facta ſunt; cùm Cæſareani modò noctu navibus militibus refertis per urbem noſtram ad Huningam exurendam, ſecundo Rheno delati ſint; modò interdiu naves ponti extruendo deſtinatas nobis repugnantibus eadem viâ deduxerint; modò per noſtratium agros ultra Rhenum pro lubitu meârint & remeârint, aliaque plurima Gallicis non diſſimilia admiſerint; quos nævos, quia evitare aut præcavere non poteramus, patienti animo ferre cogebamur. Suffecit Helvetiæ à primis incunabulis ſua fides, ſi externa vacillet, ut interior arctiſsimâ concordiâ fiat robuſtior Helvetiæ Proceres omni curâ providebunt. Senſit olim vires Helvetiorum Gallia, ſi eaſdem experiri deinceps voluerit (quod tamen minimè fore perſuaſum habemus) idem Vindex, qui ab Auſtriacorum, Burgundionum, Anglorum, & Gallorum viribus eoſdem liberavit, etiam impoſterum liberabit, inque hoſtium capita mala recident conſilia. Appa-

C 2 rebit

(*a*) Pag. 59, 60, 61, 62, 63.

rebit tum tot clauſtris ac naturæ munimentis obvallatam Helvetiam excurſionibus hoſtium tam facilè non patere, & nullum Helvetiorum tam perditæ mentis eſſe, qui libertati Patriæ omne aurum Gallicum, nedum aliquantam ſummam anteponat, & qui non agnoſcat, ſuâ libertate amiſsâ,ſe Gallis ludibrio fore, omniaque emolumenta ſpontè ceſſura.

Aſt audiamus noſtrum religioſum, Logico artificio ſic utentem: (a) *Aut pax fiet aut bellum continuabitur; ſi prius, actum eſt de Helvetia,non enim Gallis bellicoſis alia ſupereſt provincia, quàm hac, tum fruſtra auxilia Imperij imploratura. Si poſterius, vel perget vincere Gallia & ſic poſt alios devorabit Helvetiam*, Polyphemi more: *vel Hoſtes Gallos ſuperabunt,& ſic ſtipendia Helvetijs deficient & Principes offenſi juſtam ab Helvetijs vindictam ſument.* Egregia demonſtratio, & digna, quæ ſequenti (b) de pace non concludendâ pari ſubtilitate agenti adjungatur! Pax ſancita eſt mi religioſe,& tamen Galli ab Helvetiâ religiosè abſtinuerunt: clamat ergo res ipſa te de politicis arcanis inſtar cæci de coloribus ferre judicium, ac vanæ mentis ſomnia ſtolidè luci publicæ expoſuiſſe. Ejuſdem commatis ſunt, quæ paulo poſt adjicit, *de nimiâ Helvetiorum ſecuritate, & quæſito finium incremento, dum quæſtio agitabatur, an quatuor urbes Sylvaticæ ad Rhenum ſitæ Helvetiorum*

(a) Pag.70,71,72,74. (b) Pag.76,77,78.

tiorum præſidiarijs ſint committendæ, ut latrocinijs, direptionibus alijsque violentis facinoribus, prope fines noſtros ſine intermiſſione commiſsis, finis imponeretur? Etenim cùm ipſum (*a*) *populum ſuæ libertatis ſtudioſum & potentiæ Gallicæ diffidentem*; cùm (*b*) *non paucos inter proceres viros honeſtos periculoſum Helvetiæ ſtatum agnoſcentes ſe noviſſe* ſcribat adverſarius, inauditæ temeritatis ſe reum facit, dum mox, (*c*) ſui oblitus, *Gallos mediante argento totam Helvetiam ad nutum ſuum diſponere, adeoq; ipſa urbium Sylveſtrium præſidia eaſdem proditura* affirmare non veretur. Imò potiùs viderant Helvetii, Cæſareanos tam malè rebus ſuis conſulere, ut Friburgum in conſpectu exercitûs Imperatorij in hoſtium tranſierit poteſtatem, nec melius ceteras urbes habituras, niſi, ijſdem in ſuam tutelam receptis, Gallorum arma ab ijſdem averterint: hoc & ſibi & ſuperioribus Imperij provincijs ſummo uſui fore exiſtimebant, & tu homo perdite optima eorum conſilia, fines contra jus & fas ampliandi libidini attribuis.

Vitæ atque ſaluti fama vulgò jungitur & pari paſſu ambulare dicuntur, hinc ſalute nobis omni abjudicatâ, capite quarto (*d*) homo religioſus in infamium nos claſſem detrudit: ſed cùm apertè id ſe monſtrare poſſe diffideret, ex homiliâ quadam rhapſodicâ multa de honoris

Pag.83,84. (*b*) Pag.87,88. (*c*) Pag.92. (*d*) Refut.Cap.IV.p.94.

precio ejuſdemque acquiſitione præfatur, poſtea Helvetiorum priſcæ gloriæ amiſsionem prioribus & ad nauſeam repetitis calumnijs de perfidiâ & avaritiâ repetit & inculcat. Sunt omnis generis & conditionis homines in Helvetiâ, ſunt Eccleſiaſticæ dignitatis, & literarum ſtudijs dediti, alij ad Gubernacula Reip. ſedent, multi opificijs & mercaturæ vacant, maxima pars agriculturæ & paſtoritiæ inſervit, ex his omnibus innumeri de auro Gallico ne fando quicquam audiverunt, aut nunquam quicquam viderunt; quæ enim à Rege exſolvuntur, Rerum publicarum uſibus inſerviunt, & hic homulus non aliter de Helvetijs verba facit, ac ſi omnes largitionibus Gallorum non modò viverent, ſed & diteſcerent: nec deſunt paſsim præſertim in interioribus Helvetiæ pagis, qui citiùs manus pedeſque dimitterent, quàm Gallicæ ſe factioni adſcribi paterentur; imò integri pagi nullis vel minis vel promiſsis, ut Gallorum partes ſequerentur, hactenus ullo modo adduci potuerunt; & omnes in univerſum hoc ſanctè obſervârunt, ut domi illibatâ ſervatâ concordiâ populos ſibi creditos in pace conſervarent, & periculoſiſsimas belli tempeſtates undique ingruentes à patriæ finibus depellerent. Hæc felicitas lividorum oculos & mentes pravas tanto perſtringit aculeo, ut cùm aliter ei nocere non poſsint, portentoſis & ſcele-

ratiſsi-

ratiſsimis figmentis Helvetiam denigrent, quorum rabiem velut inſanam meritò aſpernamur.

Sed exclamat noſter cum Archimede εὕρηκα, εὕρηκα, *inveni* argumentum avaritiæ Helveticæ certiſsimum documentum, vulgare Proverbium (*a*): *Deficientibus nummis deſunt Helvetij.* O rem riſu digniſsimam! Legat religioſus noſter, qui tam multa è ſacro codice nobis occinere novit, illud Pauli (*b*): *Quis ſuis ſtipendiis militat unquam?* Quis ignorat, pecuniam eſſe nervum belli? Hæc ne eſt tetra illa avaritia, quòd ſtipendia Helvetij exigant à Regibus & Principibus, quibus operam militarem addicunt? dignus eſt operarius mercede ſuâ. Nec ulla merces tanta erit, quæ Viris fortibus infinitos propemodum labores ac certiſſima pericula omni tempore adeunda remuneret. Meruêrunt hactenus Helvetij domi foriſque Virorum fortium & militum ſtrenuorum elogia, hanc laudem, nullo precio venalem, integram conſervabunt, quoad Helvetiorum florebit concordia, infamis verò in æternum manebit tot nefariorum commentorum artifex profaniſſimus.

Tandem (*c*) ſupremum malitiæ apicem ſupremo capite attingit, quo ſalutis animarum & conſcientiæ perditionem Helvetiis minatur, vel potiùs certò prædicit, audaciâ deteſtandâ ac

(*a*) Pag. 100. (*b*) 1. Cor. 9. 7. (*c*) Refut. cap. V. pag. 103.

prorſus blaſphemâ, adeo ut ipſe auctor non diffiteatur (*a*), *ſe cum horrore hæc ſcribere, ſeq; ipſum calumniatoris nomine, omnibusq; ſuppliciis dignum æſtimare, niſi aſſertionem evidenter probare poſſit*: Et in fine proteſtetur, (*b*) *ſe non niſi Helvetiorum ſalutem mediis juſtis, à Charitate manantibus & veritate ſuffultis, hac libertate loquendi quærere.* Cùm è contrario ex allatis evidentiſſimè conſpiciatur, quicquid ſplendida bilis rabido homini ſuggeſſerat, eum evomuiſſe, mera figmenta, & profanæ mentis deliria. Cedò quod nam Numen Helvetiorum Te conſcientiis præfecit, ut univerſos ejus Proceres immanis perfidiæ, omnes Eccleſiaſticos aperti ſacrilegii reos, omnes incolas auctores univerſorum in Europâ graſſantium malorum maledicentiſſimo ore conſtituas? Novimus quales ſimus coram divino tribunali, nec opus eſt, ut tibi tenebrioni peſſimo noſtros confiteamur nævos; Deo ſoli hic honos debetur: Is tibi & tui ſimilibus edixit: *Nolite judicare, ne judicemini*: *Ne dicas falſum teſtimonium adverſus proximum tuum*: *Principi populi ne maledicas*; *Et omnibus mendacibus pars erit in ſtagno ardente igne & ſulphure*; cum infinitis aliis, quæ ineptæ tuæ farragini opponi poſſent. Te ipſum tibi concilia, qui palàm fateris (*c*), *Deum felicitatem temporalem Helvetiis indulgere propter exercitium virtutum moralium, probitatis ſcil. ingentis Catholicorum, & benefi-*

(*a*) pag. 104. (*b*) pag. 150. (*c*) pag. 119.

beneficentiæ in pauperes Proteſtantium, qualis quæſo eſt probitas, & beneficentia gentis perfidiſſimæ & avariſſimæ? Reclamabunt impiæ tuæ voci tot millia miſerorum exulum, è vicinâ Germaniâ ab ipſis ſociis ſuis ſedibus ejectorum, qui in ſolâ Helvetiâ portum tutum vitæ & ſaluti, atque media vitæ ſuſtentandæ repererunt, ſine quibus miſerrimè iiſdem pereundum fuiſſet. Tu qui *Helvetios plus offerenti ſuam addicere amicitiam* (*a*) impudentiſsimè fingis, cedò detegas, ubi terrarum & quando ejuſmodi auctio fuerit inſtituta? Ab Auſtriacâ Domo nil magis exigitur, quàm quod ipſamet ſe exhibituram promiſit; ſi Gallia penſiones Reip. auxiſſet (quod minimè tamen factum ex tabellis federis Regum præcedentium liquidò apparet) non Helvetiis, ſed Gallis probè noſcentibus, quàm utilis, quamque neceſſaria regno ſuo ſit Helvetiorum opera, foret imputandum. Quod perjurium & egregia conſectaria inde elicita attinet, certum eſt ex antedictis, veritati omninò repugnare: Helvetiam unquàm Galliæ quadraginta hominum millia miſiſſe, omnes Helvetiorum pagos Gallis milites dediſſe, ſolos Helvetios reos eſſe belli nuperi, imò ullo modo reos eſſe, cùm non aliam ob rationem Gallis milites conceſſerint, niſi vi federis ad defenſionem Regni, quod defendendi ſolùm causâ initum Helvetij conſtanter aſſerunt; idque eo

(*a*) Pag. 102.

tempore, quum de bello nemo cogitaret. Pariter conſtat falſum eſſe, Helvetiam debitam fidem, curam & ſolicitudinem pro domûs Auſtriacæ & Burgundicæ conſervatione non ſervâſſe, vel eandem quicquam ad detrimentum utriuſque eſſe molitam, multò magis, eam milites Gallis ad Imperium & federatos oppugnandos miſiſſe, aut Gallorum conatibus ſuorum operâ abutentibus non seriò reſtitiſſe. Quod verò non ea arripuerit media, quæ noſter adverſarius ad ejuſdem perniciem præſcribit, eadem ratio eſt, quæ duras pacis conditiones ſummis Monarchis, Principibus ac Rebuspublicis extorſit, quibus bellulus noſter religioſus, ob neglecta federis inter ſe initi pacta, egregiam de perjurio, ejus enormitate & noxâ homiliam ante recitabit, quàm ad Helvetios accedat; ſed cavebit cautus noſter Theologus, qui Romanæ curiæ de propagandâ fide & extirpandis in Belgio proteſtantibus conſilia; qui Anglorum claſsis Smyrnenſis invaſionem, & copias terrâ mariqúe Gallis ſubminiſtratas; qui Principum Imperij Gallos invitando, tranſitum concedendo, & magnis exercitibus adjuvando molimina; qui Suecorum à Septentrione Germaniæ præter expectationem imminentium & omnes Imperij exercitûs progreſſus impedientium vim; qui multorum Principum armatis copiis inſtructorum, nec tamen Patriæ tantillum opis conferentium negligentiam; qui militum

litum in ſociorum tectis immanibus extorſionibus & innumeris inſolentiis impunè furentium rabiem, tacito præterit pede: ſolam Helvetiam orbi in theatrum producens, & tanquam locum, in quem totius Europæ ſpolia, Gallici theſauri & immenſæ opes confluxerint, oſtentans, mox velut gentem immanem, fedifragam, avaram ac barbaram ejus incolas traducens, *craſſos hos dominos* (verba (*a*) ejus refero) aureis catenis oneratos, modò ſuis ſubditis, ſeditioſi turbonis inſtar jugulandos, modò velut juratus hoſtis omnibus Poteſtatibus mactandos offert, & ad reſtitutionem damni, toto hoc bello ab omnibus illati, ſolos condemnat. Hæccine eſt illa charitas, illa fides, illa conſcientia, qua nobiſcum agis homo furioſiſsime? Quia diffidis tuâ te Gallis maledicentiâ nocere poſſe, in Helvetios vindictam transfers, ut quicquid delirârunt Reges plectantur Achivi, imò non Achivi, ſed Gens tibi *ſordida*, *venalis* & *abjecta* (*b*) Helvetiorum, quam non aliter ac furum & latronum manipulum in ſceleratiſsimo tuo ſcripto traducis. Rectiſsimè ergo Imperator Auguſtus, ſingulari Pietatis, Clementiæ atque Juſtitiæ ſplendore radians, ejuſque Conſilium laudatiſsimum, ſcriptum hoc nocentiſsimum, libelli famoſi nomine proſcripſit, &, ne amplius divenderetur in ſuis ditionibus, ſeverè prohibuit, reipsâ oſtendens, quantopere hominis proſani

(*a*) pag. 86. (*b*) pag. 101.

profani convicia ac malas fraudes, non ſolùm paci publicæ, ſed & mutuæ amicitiæ, ſingulari curâ utrinque à multis annis excultæ, nocituras, rejiceret atque execraretur.

Sed, ut ad finem properemus, videtis, Auditores ſpectatiſſimi, imò videt univerſa Helvetia, cujus jugulum petatur, cujus bona, honos, pax atque ſalus inimicorum fraudulentis oppugnetur conſilijs; vigilemus ergo univerſi, ſomno ſupinæ ſocordię atque intempeſtivæ ſecuritatis oculis tum mentis tum corporis excuſſo, ſtemus parati ad utramlibet fortunam. Sola fides, cui fedus æternum ſuam debet originem, ſua incrementa, ſuam conſervationem, noſtræ ſalutis eſt ancora atque tutum præſidium; huic ſoli cùm fidere his temporibus nobis liceat, itaque huic ſummo ſtudio excolendæ atque obſervandæ nos totos tradamus; fugiat

hinc proditorum perfidia, corruptorum protervia, rei privatæ augendæ, publicâ neglectâ, cupido: fugiant ſimultates, diſſenſiones, mutuæ æmulationes, & quicquid perpetuam Helvetiorum concordiam tanquam baſin & rupem publicæ ſalutis, ſubvertit. Nunquam è memoriâ diffluant Caroli Audacis tempora, quibus Princeps omnibus terribilis, nulli amicus, Helvetijs vicinus, ſuæ cupiditatis non niſi in morte finem invenit. Stet igitur Helvetia velut in ſpeculâ ſublimi Europæ conſtituta, & ex nuperi belli motibus, quò propius fines illi Patriæ depaſcere ſunt auſi, eò magis pericula ſibi minimè ſpernenda acceſſiſſe perſuaſa, ea omnia arripiat, quæ ſuæ ſaluti firmandæ prodeſſe atque conducere queant. Caveat armare externam potentiam in ſuam vel alio-

rum

rum, præſertim federatorum, perniciem; metuant alienis inhiare, ne ſua perdant. Non omni fronti, utut promiſſis blandæ, ac officij ſimulatione amicæ ſe credant; eo vivimus ævo, quo ſimulandi & diſſimulandi artes minimè edocti ſtolidorum catervæ accenſentur. Uno verbo publicam curare ſalutem, fidem cuique debitam tribuere, neminemque lædere ſuprema omnibus lex eſto; hanc ſi obſervaverimus, omnes malevolorum calumnias, invidorum minas, oſorum technas atque inimicorum violentiam, velut tela venenata ſcuto innocentiæ, facillimè ac tutiſſimè repellemus atque confringemus. *Dixi.*

SS 960565
47

TERENTIVS.

*DESINANT MALE-
DICERE,
MALEFACTA
NE NOSCANT SVA.*

FINIS.

Z
1116 16

MC

tempore, quum de bello nemo cogitaret. Pariter conſtat falſum eſſe, Helvetiam debitam fidem, curam & ſolicitudinem pro domûs Auſtriacæ & Burgundicæ conſervatione non ſervâſſe, vel eandem quicquam ad detrimentum utriuſque eſſe molitam, multò magis, eam milites Gallis ad Imperium & federatos oppugnandos miſiſſe, aut Gallorum conatibus ſuorum operâ abutentibus non seriò reſtitiſſe. Quod verò non ea arripuerit media, quæ noſter adverſarius ad ejuſdem perniciem præſcribit, eadem ratio eſt, quæ duras pacis conditiones ſummis Monarchis, Principibus ac Rebuspublicis extorſit, quibus bellulus noſter religioſus, ob neglecta federis inter ſe initi pacta, egregiam de perjurio, ejus enormitate & noxâ homiliam ante recitabit, quàm ad Helvetios accedat; ſed cavebit cautus noſter Theologus, qui Romanæ curiæ de propagandâ fide & extirpandis in Belgio proteſtantibus conſilia; qui Anglorum claſsis Smyrnenſis invaſionem, & copias terrâ marique Gallis ſubminiſtratas; qui Principum Imperij Gallos invitando, tranſitum concedendo, & magnis exercitibus adjuvando molimina; qui Suecorum à Septentrione Germaniæ præter expectationem imminentium & omnes Imperij exercitûs progreſſus impedientium vim; qui multorum Principum armatis copiis inſtructorum, nec tamen Patriæ tantillum opis conferentium negligentiam; qui mi-

litum

litum in ſociorum tectis immanibus extorſionibus & innumeris inſolentiis impunè furentium rabiem, tacito præterit pede: ſolam Helvetiam orbi in theatrum producens, & tanquam locum, in quem totius Europæ ſpolia, Gallici theſauri & immenſæ opes confluxerint, oſtentans, mox velut gentem immanem, ſedifragam, avaram ac barbaram ejus incolas traducens, *craſſos hos dominos* (verba (*a*) ejus refero) aureis catenis oneratos, modò ſuis ſubditis, ſeditioſi turbonis inſtar jugulandos, modò velut juratus hoſtis omnibus Poteſtatibus mactandos offert, & ad reſtitutionem damni, toto hoc bello ab omnibus illati, ſolos condemnat. Hæc ne eſt illa charitas, illa fides, illa conſcientia, qua nobiſcum agis homo furioſiſsime? Quia diffidis tuâ te Gallis maledicentiâ nocere poſſe, in Helvetios vindictam transfers, ut quicquid delirârunt Reges plectantur Achivi, imò non Achivi, ſed Gens tibi *ſordida, venalis & abjecta* (*b*) Helvetiorum, quam non aliter ac furum & latronum manipulum in ſceleratiſsimo tuo ſcripto traducis. Rectiſsimè ergo Imperator Auguſtus, ſingulari Pietatis, Clementiæ atque Juſtitiæ ſplendore radians, ejúſque Conſilium laudatiſsimum, ſcriptum hoc nocentiſsimum, libelli famoſi nomine proſcripſit, &, ne amplius divenderetur in ſuis ditionibus, ſeverè prohibuit, reipsâ oſtendens, quantopere hominis profani

(*a*) pag. 86. (*b*) pag. 101.

profani convicia ac malas fraudes, non ſolùm paci publicæ, ſed & mutuæ amicitiæ, ſingulari curâ utrinque à multis annis excultæ, nocituras, rejiceret atque execraretur.

Sed, ut ad finem properemus, videtis, Auditores ſpectatiſsimi, imò videt univerſa Helvetia, cujus jugulum petatur, cujus bona, honos, pax atque ſalus inimicorum fraudulentis oppugnetur conſilijs; vigilemus ergo univerſi, ſomno ſupinæ ſocordię atquę intempeſtivæ ſecuritatis oculis tum mentis tum corporis excuſſo, ſtemus parati ad utramlibet fortunam. Sola fides, cui fedus æternum ſuam debet originem, ſua incrementa, ſuam conſervationem, noſtræ ſalutis eſt ancora atque tutum præſidium; huic ſoli cùm fidere his temporibus nobis liceat, itaque huic ſummo ſtudio excolendæ atque obſervandæ nos totos tradamus; fugiat hinc

hinc proditorum perfidia, corruptorum protervia, rei privatæ augendæ, publicâ neglectâ, cupido: fugiant ſimultates, diſſenſiones, mutuæ æmulationes, & quicquid perpetuam Helvetiorum concordiam tanquam baſin & rupem publicæ ſalutis, ſubvertit. Nunquam è memoriâ diffluant Caroli Audacis tempora, quibus Princeps omnibus terribilis, nulli amicus, Helvetijs vicinus, ſuæ cupiditatis non niſi in morte finem invenit. Stet igitur Helvetia velut in ſpeculâ ſublimi Europæ conſtituta, & ex nuperi belli motibus, quò propius fines illi Patriæ depaſcere ſunt auſi, eò magis pericula ſibi minimè ſpernenda acceſſiſſe perſuaſa, ea omnia arripiat, quæ ſuæ ſaluti firmandæ prodeſſe atque conducere queant. Caveat armare externam potentiam in ſuam vel alio-

rum

rum, præſertim federatorum, perniciem; metuant alienis inhiare, ne ſua perdant. Non omni fronti, utut promiſſis blandæ, ac officij ſimulatione amicæ ſe credant; eo vivimus ævo, quo ſimulandi & diſſimulandi artes minimè edocti ſtolidorum catervæ accenſentur. Uno verbo publicam curare ſalutem, fidem cuique debitam tribuere, neminemque lædere ſuprema omnibus lex eſto; hanc ſi obſervaverimus, omnes malevolorum calumnias, invidorum minas, oſorum technas atque inimicorum violentiam, velut tela venenata ſcuto innocentiæ, facillimè ac tutiſſimè repellemus atque confringemus. *Dixi.*

SS 860565

47

TERENTIVS.

DESINANT MALEDICERE, MALEFACTA NE NOSCANT SVA.

FINIS.

7 1116.16

MC